

De particula *sin* scripsit Kämmerer.

Ciceronis libros, quibus semper delectatus sum, pertractans et, si qua res aut grammaticorum praeceptis nondum satis constituta, aut memoria digna mihi videretur, schedis meis mandans incidi in locum Tusculanarum disputationum (III. 6, 12.), ubi tam singularis est usus particulae *sin*, ut, cum inspectis iis libris, qui praesto mihi fuerunt, non invenirem, quae sufficerent, operae pretium esse existimarem accuratius inquirere in illius particulae usum et rationem. Itaque Ciceronis libros pervolutans quingentos fere conscripsi locos, qui continerent particulam *sin*, conscriptos ad certam usus normam direxi, singulos locos difficiliores aut interpretando aut, si frustra interpretis munere fungi mihi videbar, mutando explanavi. Qua in re doleo, quod mihi non licuit uti recentiore editione Orelliana, quae non exstat in gymnasii nostri bibliotheca; emere autem ejusmodi librum quamvis exoptatum tum demum potero, cum diu expectata illa rei pecuniariae medicina etiam nostri gymnasii praeceptoribus allata erit. Sic acquiescendum mihi fuit in editione superiore. Jam vero ad rem penitus cognoscendam consentaneum fuisse me etiam aliorum scriptorum usum respicere non ignoro; sed cum longius jam progressus essem in opere perficiendo, filiae adultae morbo longinquiore et morte praematura animus meus ita est debilitatus, ut per complures menses muneris tantum observare officia possem. Cum praeterea diutius oculorum infirmitate laborarem et lucubratione abstinendum esset, me invito factum est, ut, quod mihi proposueram, praestare me ad tempus constitutum non posse intelligerem. Quam ob rem ceteris studiis in aliud tempus rejectis, Ciceronis scriptis vacavi et in iis, quae invenisse mihi visus sum, exponendis elaboravi. Quae si viris doctis, ludimagistrorum magis studia, quam magnos studiorum eventus expectantibus, quadam ex parte probata videro, et operae praemium id mihi erit et studiorum non minimum incitamentum.

Ad propositum ut accedamus, principio regulam ipsam constituemus et eam explicabimus exemplis. (I.) Deinde ea exempla, quae primo aspectu a regula abhorrere videantur, deinceps tractabimus.

Et primum quidem de iis loquemur, in quibus particulae si respondet *sin*, quatenus quidem bipartita inde effici sententia poterit. (II.)

Postea ea exempla examinabimus, quae carent particula si. (III.)

Tum eos afferemus locos et hos quidem paucos, qui liberiores usum sequuntur. (IV.)

Denique nonnullis locis conjectura aut recipienda alia lectione mederi studebimus. (V.)

I.

In regula constituenda commode comparari cum particulae nostrae usu formula illa poterit interrogationis disjunctae. Ut enim utrum et an sibi opponuntur et alterum ab altero excluditur, sic bipartita fit sententia particularum si et sin*) usu, et posterior condicionis pars superiori adversatur. Exemplo sit locus act. II. in Verr. I, 2, 6. „qui si condemnatur — sin absolvitur.“ Utraque autem pars suam habet apodosin, ut in exemplo modo laudato: „qui si condemnatur, desinent homines dicere his judiciis pecuniam plurimum posse; sin „absolvitur, desinemus nos de judiciis transferendis judicare.“

or. pro Flacco 42, 106. „Cui si patrem conservatis, qualis ipse debeat esse civis, praescribetis. Sin eripitis, ostendetis bonae rationi et constanti et gravi nullum a vobis fructum „esse propositum.,

ep. ad Att. VII, 12, 2. „Si manet, vereor, ne exercitum firmum habere non possit; sin „discedit, quo aut qua aut quid nobis agendum sit, nescio.“

Simplicioribus usus sum exemplis. Saepe autem sententiis dilatatis aut temporis, causae aliarumque rerum notione interposita amplior fit comprehensio; cujus generis exempla sunt de oratore I, 11, 48. III, 21, 79 sq. pro Caecina 24, 68. 36, 104. in Catil IV, 5, 9. pro Milone 11, 31. pro Rabir. 4, 8. de invent. II, 10, 34, ep. ad fam. VII, 1, 1, XIV, 4, 1.

Ejusmodi autem exempla regulam illam accurate sequentia centum sexaginta perscripsi, quae enumerare longum est, praesertim cum, cui bono hoc fieret, non videam. In horum autem exemplorum numero non sunt ea habenda, in quibus particulae si respondet sin autem, neque in illis numeravi exemplis ea, quae paullum deflectere videntur ab usitata ratione, de quibus mox videbimus. Separatim dicam de si et sin cum negatione conjunctis. Sejunxi etiam ea exempla a ceteris, ubi si esset in appodosi**) (quod nusquam fit in particula sin), ubi verbum cum si conjunctum ad sin (et sin autem) esset supplendum***), ubi aliunde ad alteram particulam aut ad utramque verbum quaerendum esset.†)

*) Ex hac usus similitudine etiam forma sin (pro sine i. e. si-ne) videtur originem habere.

**) velut or. Philipp. VIII, 4, 13., ubi singulari ratione verbum cum si et sin conjunctum post sin habet locum.

***) ad Herenn. IV, 40, 52. de orat. II, 39, 165. 86, 351. 90, 367. orat. partit. 27, 96. in Catil. I, 7, 18. pro Mur. 6, 13. pro Flacc. 17, 39. pr. Sull. 7, 21. or. Phil. XI, 13, 34. ep. ad fam. XV, 14, 4. ad Att. VII, 17, 4. Acad. pr. II, 30, 98. de fin. II, 26, 85. V, 2, 6. Tusc. d. II, 14, 33. (III, 17, 38.) de rep. I, 44, 68. de nat. deor. III, 1, 4. de divin. II, 37, 79. Lael. 4, 14. de off. I, 42, 151. fragm. XIV, (Timaei) cap. 2. (pg. 496.)

†) de orat. II, 39, 165 sq. orator 51, 170. (or. ad pop. et equ. R. 4, 10.) pr. Cluent. 32, 87. pr. Sulla 18, 51. (ad familiares V, 19, 2.), de fin. I, 10, 35. II, 12, 35. 30, 98 (sin autem). Acad. pr. II, 29, 94. 43, 132. de nat. deor. I, 7, 4. ad Att. XVI, 2, 6. de rep. I, 37, 58.

Non raro etiam fieri videmus, ut apodosis alterius aut utriusque particulae interrogationis formam habeat*); sed haec exempla a ceteris non separavi**).

De reticentia, quam Graeci ἀποσιώπησιν appellant, et de negatione infra dicemus, quod verborum sin et sin autem usum in his exemplis complexuri sumus.

Ex omnibus his locis particulae nostrae significatio (sin = contra si) satis apparet. Sunt autem hi loci ita comparati, ut nescias, utri condicioni major tribuatur gravitas. Saepe autem fit, ut scriptor posteriorem condicionem tanquam altera potiore et id, de quo potissimum agatur, in se continentem velit significare; et hoc quidem efficit addito autem***). Cujus particulae de significatione Freundius (in lex. maj. s. h. v. part. 7.) haec habet: „bei Aufzählungen zur Anknüpfung eines gewichtvollen Gegenstandes.“ Exemplo sint hi loci:

pro lege Manilia 22, 64. „Hoc si vos temere fecistis et reipublicae parum consulistis: recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur; sin autem vos plus tum in republica vidistis, vos, his repugnantibus, per vosmet ipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis: aliquando isti principes, et sibi, et ceteris, populi Romani universi auctoritati parendum esse fateantur.“ Cicero unum Pompejum ad bellum Mithridaticum finiendum esse idoneum docuit et Hortensium Catulumque, qui negabant Pompejo illud imperium esse deferendum, refutavit. Tum pergit c. 22: „Quare videant, ne sit periniquum et non ferendum, illorum auctoritatem de Cn. Pompeji dignitate a vobis (i. e. a populo) comprobata semper esse; vestrum ab illis de eodem homine iudicium populi Romani auctoritatem improbari; praesertim cum jam suo jure populus Romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnes, qui dissentiant, possit defendere etc.“ Ex his luce clarius apparet, id, quod Cicero tanquam verum intelligi velit, verbis sin autem — significari. cf. *pro Rosc. Am.* 43, 125, 49, 142, 51, 148.

*) veluti in *Q. Caec. div.* 10, 31. *act. II. in Verr. II.* 58, 142. *pro Murena* 14, 31. *or. Phil. III.* 8, 21. *ep. ad fam. X.* 26, 3. etc.

**) Legitimorum quasi exemplorum etiam sunt haec duo:

de divin. II. 8, 20. Quamquam magis concinerent sententiae verba, si initium scriptum esset: „si enim — fato interierunt“ —

Acad. pr. II. 40, 125. „Sin agis verecundius et me accusas, non quod tuis rationibus non assentiar, sed quod nullis: vincam animum etc.“

Pertinet hoc sin ad ea verba, quae sunt in capite 36, § 114. „Quae tandem ea est disciplina, ad quam me deducas, si ab hac detraxeris? Vereor, ne subarroganter facias, si dixeris tuam. Atqui ita dicas necesse est. Neque vero tu solus, sed ad suam quisque rapiet. — § 15. Nostra, inquires, sola vera sunt.“ (Tum Cic. exponit, cur fieri non possit, ut Stoicorum disciplinam sequatur.)

***) Ne unum quidem locum invenisse mihi videor, ubi Cicero sin vero dixerit; sed plus centum contuli, ubi simpliciter et quasi legitime si et sin autem sibi respondeant, quare his enumerandis supersedere me posse existimaui. Modo rei explicandae causa nonnullos afferam. Quibus de locis infra agam, ubi de negationibus dicam aut ubi singulis exemplis interpretandis operam dabo, hi centum illis exemplis non continentur.

divin. in *Caecil.* 11, 34. (altero si in apodosi Cicero verbi concedo significationem mitigat, ne nimium dicere aut civis boni fines relinquere videatur.) *act. II.* in *Verr.* II, 61, 150. III, 78, 182. IV, 51, 113. *pro Murena* 7, 15. *or. Phil.* III, 6, 14. *ep. ad fam.* II, 16, 5 sq. (magni ad rem demonstrandam momenti sunt verba: „Sed ego fortasse vaticinor „et haec omnia meliores habebunt exitus etc.“) *ib.* IV, 14, 1. *pro Planc.* 36, 89. *pro Cael.* 25, 61. *pro Rabir.* 6, 14. *Tusc. d.* I, 26, 65. V, 1, 2. (de duobus his locis infra ob aliam rem disputabimus.) *de off.* II, 20, 70. (cf. verba: „Quamobrem melius apud bonos, quam apud fortunatos beneficium collocari puto.“)

Sunt etiam in epistolis loci nonnulli, ubi cum particula *sin* vocabulum autem non conjunctum sit, sed alia quaedam verba, idem fere significantia. Sic *ad fam.* XIV, 4, 3: „*sin*, ut ego metuo“ — *ad Att.* II, 17, 3: „*sin*, ut scribis, ita venies“ — *ib.* III, 9, 2: „*sin*, ut mihi videntur, infirma sunt“ — *ib.* 10, 1: „*sin*, ut tu scribis, ista evanuerint“ — *ib.* 23, 5: „*sin* ut ego perspicio“ — XV, 13, 5: „*sin* est, ut arbitror, negotium perditum“ —

Etiam referri huc possunt *ad fam.* II, 10, 4. et *ad Att.* VII, 26, 2., quamquam in his exemplis deest si, qua de re infra agemus.

Hac in re si rectum vidi (et vidisse mihi videor), etiam in ceteris exemplis, quae continent *sin* autem, (sunt autem universa illa centum quinquaginta septem) facile intelligimus, quid sibi velit illud autem particulae *sin* adjectum. Nam multa exempla ita comparata sunt, ut non ex ceteris sententiae verbis vocabuli autem significationi, sed ex hujus vocabuli vi et gravitate toti sententiae sit lumen afferendum.

Quae supra dixi de particula si saepe in apodosi collocata, de interrogatione aut in altero aut in utroque sententiarum membro adhibita, de verbo a particula si aut aliunde ad *sin* supplendo: eadem hic repetere longum est, quoniam ad rem ipsam parvi sunt momenti.

Transimus nunc, ut supra diximus, ad negationem particulis si et *sin* adjunctam; tum de reticentia, quae dicitur, agemus. Negatur aut prior aut posterior pars sententiae. In priore parte quadripartita exstat negandi ratio: nisi*), si non**), (non ad certum aliquod vocabulum pertinet), si nihil***), si nullus.†)

*) *pro Planc.* 1, 3. *ep. ad Att.* XII, 40, 4. XIII, 31, 3. (cum Abl. abs.) XV, 5, 1. (nisi in apodosi.) *pro Cluent.* 6, 18. *ep. ad Att.* X, 7, 1.

**) *ad Herenn.* II, 3, 5. (si poterit — id si non poterit.) *de invent.* I, 15, 21. (non ad omnia pertinet.) *pro Caelio* 21, 50. (non ad es referendum.) *in Pisonem* 13, 30. (si illam legem non putabatis gravius est, quam nisi putabatis; eadem, quae inter nego et non dico, intercedit ratio.) *ep. ad Att.* I, 16, 13. (si non dederit — *sin* dederit.) *ad fam.* V, 5, 3. (quae si non profundere videbor — i. e. si grato erit animo — respondet: *sin* autem ingrata esse sentiam.)

***) *in Pison.* 40, 97. (nihil — aliquid sunt opposita.) *or. Philipp.* II, 33, 84. (si nihil est — *sin* est aliqua vis —) *ep. ad fam.* V, 17, 4. (nihil — omnia.)

†) *or. Philipp.* IX, 6, 14. (nullum honorem — opponitur: honorem, qui maximus haberi potest)

Posterioris partis negandae sunt sex genera: sin minus*), sin — non**), sin aliter***), sin secus†), sin nihil††), sin nullus†††).

Restat, ut, priusquam ad ea exempla transeamus, in quibus bipartita divisio videri dubia possit, de reticentia, quam supra diximus, loquamur. Appellatur autem vocabulorum nonnullorum praetermissio, consulto facta, reticentia. Exemplorum, quae ad hanc rem pertinent, major quidem pars est in epistolis, sed inveniuntur etiam in libro II. *de oratore* et in libro III. *Tusculanarum disputationum*. Et primum quidem tractabimus quatuor exempla inter se similia, quibus quintum quoddam addi potest, ubi Cicero Graeco *εἰ δὲ μὴ* utitur, *ep. ad Att. II*, 16, 4. „Si possum discedere, ne causa optima in senatu pereat, ego satisfaciam „publicanis; *εἰ δὲ μὴ*, — vere tecum loquor, — in hac re malo universae Asiae et negotiatoribus; nam etc.“ Eadem significatione (nos dicimus „widrigenfalls“) sin in his est exemplis:

ep. ad fam. XII, 6, 2. „Brutus enim Mutinae vix jam sustinebat. Qui si conservatus „erit, vicinus; sin, — quod dii omen avertant! — omnis omnium cursus est ad vos.“

*) sin minus est Graecum *εἰ δὲ μὴ*. Verbum suum habet: *de invent. II*, 29, 88. *ep. ad fam. V*, 16, 16. *IX*, 15, 5. *de orat. II*, 4, 16. (ubi si deest.) Supplendum est verbum a part. si: *de opt. gen. or.* 3, 8. *ep. ad Brut. I*, 16. *pro Planc.* 25, 62. *ep. ad fam. VII*, 1, 6. *XIII*, 7, 5. *ad Qu. fr. I*, 2, 2, 6. *II*, 9, 2. 14, 1. *ad Att. III*, 16, 18, 2. *IX*, 15, 1. *XII*, 29, 2. *XIII*, 29, 3. 48, 1. *XIV*, 3, 2. *de fin. I*, 15, 49. *de off. I*, 33, 120. *de orat. II*, 75, 306. (sin id minus.) Aliunde verbum suppletur: *ep. ad fam. XII*, 2, 3. (hieri potest, scil. ut salvi simus.) *ad Att. XIII*, 1, 3. (id feceris.) *de nat. deor. III*, 32, 80. (sin id minus — faciebant.)

**) sin non, nullo vocabulo interposito, nusquam reperitur apud Ciceronem (id quod supra de sin vero diximus), sed ubique sin et non uno vel pluribus vocabulis separatur, aut (ut est *pro Flacco* 25, 59. *ep. ad Att. III*, 11, 1. *XIV*, 14, 4. *Acad. pr. II*, 29, 94. *ep. ad fam. V*, 19, 2. *XIV*, 1, 5. etc.) si non scribitur. Sunt autem negationis sin — non haec exempla, quorum quidem suum quodque habet verbum: *pro Caelio* 23, 58. (si — erat, — sin — non erat. Septem verba inter sin et non sunt interposita.) *ep. ad fam. VII*, 10, 4. (si esse sciam — sin autem id non est —) *ad fam. VIII*, 10, 3. (si — erit — sin autem non erit) *ad Qu. fr. I*, 1, 5, 15. (si cognosti — sin autem id non perspicis) *de fin. IV*, 15, 40. (si — ea negligemus — sin ea non negligemus) 22, 60. (si ea — ita sentiret — sin autem eos non probabat) *Tusc. disp. I*, 11, 23. (si — possumus — sin id non potest) *de off. III*, 6, 30. (si quid ob eam causam detraxeris — sin autem id non sit ejusmodi) 7, 33. (si potes — sin hoc non licet). Pertinet huc etiam *ep. ad Att. IX*, 7, 3. (deest si.)

***). Verbum a part. si suppletur: *pro Murena* 13, 28. *ep. ad fam. VI*, 18, 4. *X*, 6, 3. *XI*, 14, 3. *ad Att. V*, 4, 2. *Acad. post. I*, 11, 41. Aliunde suppletur: *de lege agr. III*, 1, 2. (erit s. fiet) *ep. ad Att. IV*, 1, 7. Ad utramque particulam supplendum: *pro Caec.* 24, 69.

†) Suppl. v. a part. si: *Brutus* 96, 330. *fragm. XIV*. (Timaeus) c. 2. pg. 497.

††) Suum cuique exemplo verbum est: *ad Her. II*, 3, 5. *ep. ad Att. III*, 15, 6. 23, 6. *de divin. I*, 50, 113. *Cato maj.* 23, 85. Suppl. v. a p. si: *ep. ad Att. II*, 8, 1.

†††) cum verbo: *ep. ad fam. IV*, 8, 2. *Tusc. d. II*, 14, 33.

ep. ad Att. XVI, 13, b, 2. „Veruntamen, si pares aequae inter se, quiescendum: sin, — latius manabit, et quidem ad nos, deinde communiter.“

Tusc. disp. III, 6, 12.)* „Ne aegrotus sim; sin, — is, qui fuerat, sensus adsit, sive secetur quid, sive avellatur a corpore.“

ep. ad Att. X, 7, 2. „Si vir esse volet, praeclara *συνοδία*; sin autem, — erimus — nos, qui solemus.“

Diversi ab illis sunt hi quinque loci:

de orat. II, 51, 208. „Nam si, quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur; sin, quod aut in bonos viros, aut in eos, in quos quisque minime debuerit, aut in rempublicam**) (scil: factum est, id augeas): tum excitatur, si non tam acerbum odium, tamen etc.“

ib. 90, 367. „Si, quod difficilius est, id tibi relinquit — — sin, quod facilius est (scil: tibi relinquit) —“

ep. ad Att. XIII, 31, 3. „Atque id ipsum, quod isti ajunt illum scribere, se, nisi constitutis rebus, non iturum in Parthos: idem ego suadebam in illa epistola; sin (scil. constitutae essent res), utrum liberet facere posse, auctore me.“

ep. ad fam. XIV, 3, 5. „Si periclitis, quod agitis, me ad vos venire oportet; sin autem — — Sed nihil opus est reliqua scribere.“

Magis jam a ceteris exemplis abhorret *ep. ad Att. VII, 18, 1.* „Quae quidem ille, si repudiavit, jacebit; sin acceperit — —“ (reliqua sunt omissa.)

II.

Venimus nunc ad eos locos, qui his aut saepius particulam si in priore parte continent, in posteriore autem post sin semel aut bis aut ter repetitum si adjiciunt, ut primo ad spectu non bipartitas sententias, sed in plures partes divisas invenisse tibi videre. Sed ex toto quingentorum exemplorum numero duodeviginti tantum regulam nostram non sequuntur, quae, ceteris exemplis omnibus tractatis, una cum iis, quibus modo conjectura aut certe aliam lectionem recipiens mederi potui, singula proferam.

Interdum Cicero complures res deinceps enumerat, quas tum una apodosi completitur, ut ex duplici apodosi, altera priori parti, altera posteriori addita, cognoscere verborum comprehensionis possimus rationem bipartitam. In his locis sunt numerandi:

pro Quintio 30, 94. „Si licet vivere eum, quem Sex. Naevius non vult; si est homini honesto locus in civitate, invito Naevio; si fas est respirare P. Quintium contra nutum, ditionemque Naevii; si, quae pudore ornamenta sibi peperit, ea potest contra petulantiam, te defendente, obtinere: spes est et hunc miserum atque infelicem aliquando tan-

*) Diximus initio opusculi hoc exemplo nos ad suscipiendam hanc quaestionem adductos esse. Est autem hoc exemplum eorum, quae, quoniam carent particula si, infra sunt tractanda.

**) Incerta sunt haec omnia et criticorum operam desiderant.

„dem posse consistere. Sin et poterit Naevius id, quod libet, et ei libebit, quod non licet: quid agendum est? etc.“

Hic in priore parte quater exstat si; sed tanta est singularum rerum similitudo, ut — praesertim cum una apodosi concludantur — dubitare non possumus, quin illis rebus efficiatur sententiae pars una, a particula sin initium capiat altera.

de oratore III, 19, 70 sq. „Si his“ (quae modo dicta sunt de certo quodam oratorum genere) „contenti estis, atque iis etiam, quae dici voluistis a me: ex ingenti quodam oratore, immensoque campo in exiguum sane gyrum compellit. Sin veterem illum Periclem, aut hunc etiam, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est, Demosthenem sequi vultis, et, si illam praeclaram et eximiam speciem oratoris perfecti et pulchritudinem adamas: aut vobis haec Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est.“

Hoc loco in posteriore parte particulam sin excipit si, et ita quidem, ut utrumque dictum idem fere proferat, modo alterum ad personas se applicans, alterum ad superiorem rei definitionem. Quod utrumque quoniam una apodosi comprehenditur, tanquam alteram partem superiori si illud opponi perspicuum est. Eadem ratio est horum locorum: *pro Rosc. Am. 3, 8. divin. in Caec. 14, 47. act. II. in Verr. IV, 37, 81. de lege agr. II, 26, 61. pro Flacc. 22, 53. pro Sulla 8, 25. pro P. Sext. 10, 24. ep. ad Att. III, 10, 1. XIII, 1, 3. Acad. post. I, 2, 4. Tusc. disp. II, 24, 57. fragm. XIV, 2. (pg. 497.) de invent. II, 24, 74. pro Mur. 4, 9. pro Balbo 7, 18. de nat. deor. I, 2, 3.*

Singillatim tractandi sunt hi loci:

or. Phil. I, 11, 27. „Ego, si quid in vitam ejus, aut in mores cum contumelia dixerō, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Sin consuetudinem meam, quam in republica semper habui, tenuero, id est, si libere, quae sentiam, de republica dixerō: primum deprecor, ne irascatur; deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur, ut civi.“

Hoc exemplum ceteris ob id praemisi, quod interpositum id est satis docet alterum illud si, quod post sin collocatum est, tantummodo ad sententiam accuratius explicandam esse adjectum et eandem rem alia ratione describere, id quod in exemplis, quae proxime sequuntur, saepius factum videmus, verbis id est non additis. (Quod in extrema exempli parte iterum est si, non eget explicatione; ad apodosin pertinet.)

in Pis. 40, 97. „Qui si nihil gesseras dignum honore, ubi exercitus? ubi sumptus? ubi imperium? ubi illa uberrima supplicationibus triumphisque provincia? Sin autem aliquid spectare volueras, si cogitaras id, quod imperatoris nomen, quod laureati fascēs, quod illa tropaea plena dedecoris et risus te commentatum esse declarant: quis te miserius etc.“

Breviter explicari alterum si potest suppleto id est. Subsequenti enim si id, quod verbis sin autem generatim atque universe pronuntiatur, singillatim exponitur. Sin autem hic cum ironia quadam gravius est dictum.

pro Planc. 6, 14 sq. Longior est pars prior; itaque ejus sententiam brevius complectar, praesertim cum pars posterior nostri sit iudicii:

Si dignitas et nobilitas in magistratibus dandis respicienda, et is damnandus est, qui, altero dignitate inferior, est designatus ad magistratum: extinctae sunt comitiorum suffraga-

tionem. Respondet his: „Sin hoc persaepe accidit, ut et factos aliquos et non factos esse miremur: si campus atque illae undae comitorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant: in tanto nos impetu studiorum et motu temeritatis modum aliquem et consilium et rationem requiremus?“

Imagine quadam accuratius et apertius illustratur et quasi ante oculos id ponitur, quod antea (sin etc.) brevius et minus perspicue dictum est.

pro Scauro 2, 18 sq. „Si docet tabulis, quoniam habet seriem quandam et ordinem con- tracti negotii confectio ipsa tabularum, attendam acriter et, quid in defendendo mihi agendum sit, videbo. Si denique nitere testibus (non dico bonis viris ac probatis, noti sint modo:) quemadmodum mihi cum quoque sit confligendum, considerabo. Sin unus color, una vox, una natio est testium omnium; si, quod ii dicunt, non modo nullis argumentis, sed ne literarum quidem aliquo genere aut publicarum aut privatarum (quod tamen ipsum fingi potest) confirmare conantur: quo me vertam, iudices, aut quid agam? — Non est unus mihi quisque ex illorum acie protrahendus, neque cum singulis decertandum atque pugnandum; tota est acies illa uno impetu prosternenda.“ (§. 38 sqq. Cicero docet fidem et auctoritatem testium esse nullam.)

Bipartita est sententia; ex altera parte si — si — est conjungendum: opponitur sin — si —. Cicero tabulas testesque commemorat, quibus accusatores uti in aliis causis solent; opponit his novum testium genus, cujus naturam inanem esse docet (cf. § 38 sqq.); quae hi dicunt, ea neque argumentis neque literis (supra tabularum mentionem fecit) confirmare audent. Comparatione igitur earum rerum, quas postulare debet defensor, et earum, quas praebent adversarii, duae continentur hujus exempli partes.

de invent. II, 7, 24. „In hoc autem loco caput illud erit accusatori, si demonstrare poterit alii nemini causam fuisse faciendi; secundarium, si tantam aut tam idoneam nemini. Sin fuisse aliis quoque causa faciendi videbitur: aut potestas aliis defuisse demonstranda est, aut facultas, aut voluntas.“

Prior pars de causa faciendi maleficii agit, quae fuerit aut soli accusato aut certe majore ex parte; posterior pars docet, quibus rebus, si accusatus cum aliis communem habuerit faciendi causam, accusatori sit nitendum. — Similis est locus 8, 26 sq., ubi pro iterato si dictum est aut — aut —.

pro Rosc. Am. 50, 145. „Si spoliolum causa vis hominem occidere, spoliasti. Quid quaeris amplius? Si inimicitiarum: quae sunt tibi inimicitiae cum eo, cujus ante praedia possedisti, quam ipsum cognosti? Sin metuis: ab eone aliquid metuis, quem vides ipsum ab sese tam atrocem injuriam propulsare non posse? Sin, quod bona, quae Roscii fuerunt, tua facta sunt, idcirco hunc illius filium studes perdere: nonne ostendis id te vereri, quod praeter ceteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur? Facis injuriam, Chrysogone, etc.“

Duplex est oppositio. Prior duas causas, quae cum impetu quodam animi sunt conjunctae, a metu distinguit, qui fuga salutem petere solet; quas utrasque causas Cicero nullas esse docet. At vero esse causam ostendit (et haec quidem omnibus illis causis opponitur), quae

a Chrysogono afferri non debeat, ne plus fiduciae in Roscii morte, quam in iis rebus, quas Sulla gesserit, ponere videatur.

pro Caelio 13, 32. „Sed intelligis prae tua praestanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac „sola (sc. Clodia) rem esse nobis: quae si se aurum Caelio commodasse non dicit, si venenum ab hoc sibi paratum esse non arguit: petulanter facimus, si matrem familias secus, „quam matronarum sanctitas postulat, nominamus. Sin, ista muliere remota, nec crimen „ullum, nec opes ad oppugnandum Caelium illis relinquentur: quid est aliud, quod nos patroni „facere debeamus, nisi ut eos, qui insectantur, repellamus?“

Sententia loci haec est: Si Clodia, quae ob duas res (aurum et venenum) Caelium reum fecit, illum falso accusatum esse dicit, plura de mulieris vita dicere nolo; sin ea perseverat et in accusatione permanet, vita ejus turpis est patefacienda et sic mulier de medio removenda. Sic etiam accusatores, cum non amplius habeant, cur Caelium insectentur, a iudicio repellentur.

ep. ad fam. IV, 2, 2. „Si, quid rectissimum sit, quaerimus, perspicuum est: si, quid „maxime expediat, obscurum: sin ii sumus, qui profecto esse debemus, ut nihil arbitremur „expedire, nisi quod rectum honestumque sit, non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit.“

Cicero haec dicit: Si, quid rectum et quid utile sit, separatim quaerimus, alterum perspicuum est, alterum dubium; sin conjuncta ea — id quod decet nos facere — sequemur, de agendi ratione dubii esse non poterimus.

ib. V, 16, 4. „Quod si tuum te desiderium movet aut si tuarum rerum cogitatione „maeres: non facile exauriri tibi istum dolorem posse universum puto; sin illa te res cruciat, „quae magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miseras lugeas: ut ea non dicam, quae „saepissime et legi et audivi, nihil mali esse in morte, (in sententia interposita iterum est „si — sin, ad regulae normam accomodatum) tamen etc.“

Duplicato si dolor significatur, qui ad te ipsum pertinet; sin maerorem spectat, qui ex aliorum miseria hauritur.

ib. XII, 2, 3. „Quare spes est omnis in vobis; qui si idcirco abestis, ut sitis in tuto: „ne in vobis quidem. Sin aliquid dignum vestra gloria cogitatis, velim salvis nobis: sin id „minus, res tamen publica per vos brevi tempore jus suum reciperebit.“

Opponuntur h. l. si et sin. Adjectum sin id minus pertinet ad velim salvis nobis. A verbo velim initium capit apodosis, quae si plena esset, sic se haberet: respublica per vos brevi tempore jus suum reciperebit, quod si valvis nobis fieri poterit, jucundissimum nobis erit, sin id minus poterit, tamen fiet.

ib. XIV, 4, 4. Verba si obtinere potuissent, parenthesis loco sunt habenda; cetera plana sunt.

ib. XV, 14, 4. et *Tusc. disp. III*, 17, 38. Alterum si protasin, quae dicitur, continet; si alterum et sin apodosin efficiunt.

ep. ad Qu. fr. I, 3, 5. „Nunc, si potes, id quod ego, qui tibi semper fortis videbar, „non possum, erige te et confirma, si qua subeunda dimicatio erit. Spero, si quid mea „spes habet auctoritatis, tibi et integritatem tuam et amorem in te civitatis et aliquid etiam

„misericordiam nostri praesidii laturam. Sin eris ab isto periculo vacuus, ages scilicet, „si quid agi posse de nobis putabis.“

Respondent sibi: si qua subeunda dimicatio erit et sin eris ab isto periculo vacuus. Ter secundarium si est interpositum: primo additamento adstringitur praeceptum illud, ut frater se erigat et confirmet; altero Cicero praesidium, quod fratri futurum esse sperat, dubium reddit; tertio si definit condicionem, qua intercedente fratrem ipsi opem ferre velit. Ceterum singularis hic locus est apud Ciceronem.

ep. ad Att. V, 18, 2. „Haec igitur, si Romae es; sin abes, aut etiam si ades, haec „negotia sic se habent: stamus animis et, quia consiliis, ut videmur, bonis utimur, speramus „etiam manu.“

Multo liberiorem in epistolis usum scribendi esse, quam in ceteris Ciceronis libris, constat, quoniam in tempus scriptae sunt et plerumque ad singulos eosque amicos datae. Sunt etiam, quae tam festinanter scriptae sint et maxime quidem ad Atticum (*cf. ad Att. VI, 4, 2. fin.*), ut in his ipsis interdum Ciceronem desideremus. Jam vero si memores sumus nostrarum epistolarum, in quibus non raro, si quid festinatione abrepti minus recte scripsisse nobis videmur, deinceps aliis verbis corrigimus, illa integra relinquimus: quid est, quod miremur idem etiam Ciceroni accidisse? Hoc etiam in nostro exemplo factum videmus. Ciceronis animo obversabatur: si Romae es — sin abes —; sed id scribenti repente in mentem venit hac in re parvi referre, utrum Romae sit Atticus necne. Itaque ipse se corrigens verbis aut etiam si ades totam illam oppositionem tollit.

ib. VII, 3, 2. „Sive enim ad concordiam res adduci potest, sive ad honorum victoriam, „utriusvis rei me aut adiutorem velim esse aut certe non expertem. Sin vincuntur boni, „ubicunque essem, una cum iis victus essem.“

Reipublicae condicio aut Ciceroni secunda et exoptata, aut adversa et molesta fieri potest bello civili. Illa condicio cum bipartita esse possit, ut tum pace, tum honorum victoria nitatur, ob id opus est disjunctivis, quas dicunt, particulis. Status reipublicae Ciceronis rationibus contrarius una honorum clade continetur.

Cato maj. 23, 85. „Quod si in hoc erro, qui animos hominum immortales esse credam, „lubenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo; sin mortuus, „ut quidam minuti philosophi censeant, nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum „philosophi mortui irrideant.“

Non satis sibi respondere utraque sententiae pars videtur; etenim cum si in hoc erro, qui etc. significare possit: si mortales sunt animi, idemque valeant verba sin mortuus nihil sentiam: incerti haeremus et, quid scriptor sibi velit illa oppositionis formula, nescimus. Itaque aut sin in si vero sive et si mutandum erit, aut alia interpretandi loci via ingredienda, et eam quidem viam posse artificio quodam invenire nobis videmur, si sententiam ita explicamus: Quod si (id quod ego non existimo, sed aliorum hoc est de me iudicium) in hoc erro, nolint illi meum mihi errorem extorquere, quem adamavi, sed erroris nomine mihi indulgeant. (Et hoc quidem non sine adpersa aliqua ironia dictum

intelligo.) Sin revera (quis est enim, qui, cum homo sit, errare non possit?) mortuus nihil sentiam etc.

Duo loci *orat. part.* 27, 96. et *de off.* III, 6, 30. sunt ad regulae normam comparati, sed ob id commemorandi sunt, quod apodosis eandem habet particularum nostrarum rationem.

ep ad fam. III, 10, 7 sq. „Nam si me virum bonum, si dignum iis studiis eaque doctrina, cui me a pueritia dedi, si satis magni animi, non minimi consilii in maximis rebus perspectum habes: nihil in me non modo perfidiosum et insidiosum et fallax in amicitia, sed ne humile quidem aut jejunum debes agnoscere. Sin autem me astutum et occultum lubet fingere: quid est, quod minus cadere in ejusmodi naturam possit, quam etc.“

Brevibus verbis hujus loci sententiam sic contrahere possumus: Si illas (quas enumeravi) virtutes in me esse cognovisti, non debes me perfidiae accusare; sin autem me fingere vis insidiosum, hoc redargui ex iis, quae feci, potest.

Cum multa sint apud Ciceronem, in quibus logices, quae dicitur, non satis ratio sit habita, tum locorum eorum, quos tractamus, nonnulli non tam enucleate procedunt, ut non sit interdum Ciceronis subtilitati succurrendum. De causis hujus rei alii videant, nostrum est locos hoc mendo affectos explicare et, quid scriptor in animo habuerit, ostendere. Idem lapsus, quamvis exiguus, saepius jam in exemplis supra tractatis nobis occurrit, majorem tamen in modum iis locis inhaeret, de quibus nunc sumus disputaturi.

Tusc. disp. I, 41, 97 sq. „Necesse est enim sit alterum de duobus: ut aut sensum omnino mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur.“

Duae igitur proferuntur res, quae commode particularum si et sin usu distineri possunt. Sed videamus, quid Cicero scripserit.

„Quamobrem, sive sensus exstinguitur morsque ei somno similis est, qui nonnunquam, etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem affert: dii boni! quid lucris est emori! aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponanantur? Cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior?*) Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem mortem esse in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt: id multo jam beatius est, te, cum ab iis, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire etc.“

Expectamus post sive alterum sive, ut sententia sit: sive sensus exstinguitur, sive mors est migratio in alias oras, bene mihi evenire existimo, quod mittor ad mortem. At opponitur sin, quasi si praecedat. Itaque aut sive — sive scribendum fuit aut si — sin. Logices igitur praecepta in hoc exemplo non sunt observata.

de divin. II, 8, 20. „Si enim fatum fuit classes populi Romani bello Punico primo alteram naufragio, alteram a Poenis depressam interire: etiam si tripudium solistimum pulli fecissent, L. Junio et P. Clodio consulibus, classes tamen interissent. Sin, cum auspiciis obtemperatum esset, interiturae classes non fuerunt: non interierunt fato; vultis autem omnia fato: nulla igitur est divinatio.“

*) Verba cui si — beatior? tanquam in parenthesi dicta sunt.

Non satis acute oppositionis partes sunt disjunctae, quod aliter se haberet, si sic essent dispositae: Si vestra sententia vera est, omnia fato fieri, classes Romanorum, etiam si tripudium solistimum fecissent pulli, tamen interissent. Sin ceteri recte sentiunt divinationem esse, et classes illae, cum auspiciis obtemperatum esset, interiturae non fuerunt: non interierunt fato. Vos autem omnia fato fieri vultis, tollitis igitur divinationem.

ep. ad fam. XVI, 1, 1. „Sed quia tua voluntas ea videbatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles navigare, approbavi tuum consilium neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. Sin autem postea, quam cibum cepisti, videris tibi posse me consequi, tuum consilium est.“

Hunc locum si via et ratione procedere volumus, sic est mutandus: Si tu in eadem es sententia, ego etiam nunc consilium tuum approbo. Sin autem, id quod tui consilii est, sententiam mutasti et postea, quam cibum cepisti, tibi videris me consequi posse, sequere.

de fin. V, 30, 90. Piso, veterum Academicorum et Peripateticorum doctrinam de summo bono explicans, haec dicit: „Si satis erit hoc perceptum, in quo adiutores Stoicos optimos habemus, tantam vim esse virtutis, ut omnia, si ex altera parte ponantur, ne appareant quidem: cum omnia, quae illi*) commoda certe dicunt esse et sumenda et eligenda et proposita: (quae ita definiunt, ut satis magno aestimanda sint) haec igitur cum ego tot nominibus a Stoicis appellata, partim novis et commenticiis, ut ista producta et reducta, partim idem significantibus: (quid enim interest, expetas, an eligas? mihi quidem etiam lautius videtur, quod eligitur, et ad quod delectus adhibetur:) sed cum ego ista omnia bona**) dixerō, tantum refert, quam magna dicam: cum expetenda, quam valde.“

Quae primaria in his sint, quae secundaria, satis scribendi ratione expressisse mihi videor. Exspectamus nunc sententiam sic fere progredientem: Sin autem, ut vos facitis, dicendum est eam vitam, in qua sit aliquid mali, beatam esse non posse: ea, quae ego bona dico, aliis vocabulis sunt appellanda, ut omnia ista obscrentur neve appareant et in virtutis, tanquam in solis, radios incurrant.

Sed Cicero sic pergit:

„Sin autem nec expetenda ego magis, quam tu eligenda, nec illa pluris aestimanda ego, qui bona, quam tu, qui producta appellas: omnia ista necesse est obscurari, nec apparere, et in virtutis, tanquam in solis, radios incurrere. 91. At enim, qua in vita est aliquid mali, ea beata esse non potest.“

Tusc. disp. I, 26, 65. „Ergo animus, ut ego dico, divinus, ut Euripides dicere audet, deus est; et quidem, si deus aut anima aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura caelestis et terra vacat et humore, sic utriusque harum rerum humanus animus est expers.“

Jam vero, ut recte profluat oratio, sic fere scribi necesse est:

Sin autem deus quinta quaedam est natura, ab Aristotele inducta primum, haec, ut deorum, sic est animorum.

*) Stoici.

**) quod veteres Academici et Peripatetici faciunt.

At haec sunt apud Ciceronem:

„Sin autem est quinta quaedam natura, ab Aristotele inducta primum: haec et „deorum est et animorum. Hanc nos sententiam secuti, his ipsis verbis in Consolatione „haec expressimus.“

(cap. 27. exponitur, cur singularis quaedam natura atque vis animi esse videatur, sejuncta ab his usitatis notisque quatuor naturis.)

ib. V, 1, 2. „Quod si ab iis inventa et perfecta virtus est, et si praesidii ad beate „vivendum in virtute satis est: quis est, qui non praeclare et ab illis positam et a nobis „susceptam operam philosophandi arbitretur? Sin autem virtus, subjecta sub varios incer- „tosque casus, famula fortunae est, nec tantarum virium est, ut se ipsa tueatur: vereor, ne „non tam virtutis fiducia nitendum nobis ad spem beate vivendi, quam vota facienda videantur.“

Duae res sunt, de quibus quaerendum sit, loci partitio et ratio logica.

Est autem locus in duas partes divisus, quarum prior continet duo membra, virtutis inventionem perfectionemque, et ejus efficientiam. Utrumque membrum una apodosis complectitur, et videtur in hac parte (sit venia verbis) affirmativa, in altera parte (sin autem etc.) negativa virtutis ratio considerari, ut bipartita habenda sit sententia. Sed parum convenienter singula sunt descripta. Si pars prior sic esset expressa: Quod si in virtute, ab iis inventa et perfecta, satis praesidii est ad beate vivendum etc., altera pars commode his responderet. Sic nec prioris partis apodosis satis apte adnectitur, nec posterior pars accurate respondet superiori.

de *divinat.* I, 50, 113. „Nec vero unquam animus hominis naturaliter divinat, nisi cum „ita solutus est et vacuus, ut ei plane nihil sit cum corpore. Quod aut vatibus contingit aut „dormientibus. Itaque ea duo genera a Dicaeargo probantur et, ut dixi, a Cratippo nostro. „Si propterea, quod ea proficiscuntur a natura, sint summa sane, modo ne sola. Sin autem „nihil esse in observatione putant, multa tollunt, quibus vitae ratio continetur.“

Hujus loci sententia haec est:

Illi, quae a natura proficiscuntur, (vaticinia et somnia) probant; quae sunt notata observatione diuturna, non probant.

Itaque sic scribendum erat: Si probant ea, quae proficiscuntur a natura, summa quidem probant, sed alia multa desideramus; sin autem ea, quae sunt in observatione posita, non probant, vitae rationem, ea sequentem, turbant. (Duplex in his inest oppositio, altera in re ipsa est, altera in sententia tum affirmata, tum negata.)

ep. ad Att. V, 11, 5. „Plane serviunt (sc: mei) existimationi meae. Quod superest, si „verum illud est: οἷα γ' ἡ δέσποινα, certe permanebunt. Nihil enim a me fieri ita videbunt, „ut sibi sit delinquendi locus. Sin id parum profuerit, fiet aliquid a nobis severius.“

In his si accuratius sibi respondere utramque partem volumus, sic scribendum fuisse censebimus: Si verum illud est —, meis exemplum meum sufficiet; sin id verum non est et exemplum meum parum profuerit, fiet etc.

Huc quodam modo pertinet etiam de off. III, 33, 119 sq. „Nam ut utilitatem nullam „esse docuimus, quae honestati esset contraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse „contrariam.“

120. „Quemadmodum igitur, si quando ea, quae videtur, utilitas, honestati repugnat, „dijudicanda res sit, satis est supra disputatum. Sin autem speciem utilitatis etiam voluptas „habere dicetur, nulla potest esse ei cum honestate conjunctio. Nam ut tribuamus aliquid „voluptati, condimenti fortasse nonnihil, utilitatis certe nihil habebit.“

Expediri hic locus hac ratione potest:

Si utilitas honestati repugnat, repudianda est. Sin autem etiam voluptati utilitatis speciem tribuunt, huic utilitatis speciei nulla potest esse cum honestate conjunctio, quod omnem voluptatem diximus honestati esse contrariam.

Particulae si et sin hoc loco minus re ipsa sibi sunt oppositae, sed ad § 119. referendae sunt, ubi utilitas et voluptas honestati contrariae sunt dictae.

Ceterum pro Nam malim Quamquam; causam enim verba sequentia iis, quae antea dicta sunt, addunt nullam.

Reliquum unum est exemplum, in quo rationi logicae medendum videatur, *ep. ad Au. X*, 8, 8. Sed cum eos locos, ubi si non exstat, cui respondeat sin, nondum tractaverimus, nolo quidquam anticipare et de hoc loco infra agam.

III.

Transimus ad alteram partem eorum exemplorum, quae non videntur sequi regulam initio opusculi constitutam i. e. quae carent particula si.

Et hujus quidem generis exempla conscripsi septuaginta octo.

Dividi hoc genus poterit in tres partes, ut prima pars de iis locis agat, in quibus sententia leviter immutata restituere illam particularum si et sin inter se repugnantiam possimus; altera eos tractet locos, qui, quamquam interpretando effici illud si non potest, tamen una definitione comprehendi se patiantur; tertia de iis disputet exemplis, quae singula explicanda esse videantur.

Omnia autem haec exempla particula sin in duas partes sibi oppositas dividi si docuerimus, servatam etiam in his nostrae particulae naturam videbimus. Quod si in hac partium trium divisione cuipiam exemplum aliquod non suae parti, sed alii minus accommodatae attribuisse videbimur, huic bifariam erit respondendum: primum exemplorum, si normam aliquam et ordinem iis adhibueris, ab uno ad alterum tam levem esse transitum, ut facile incertus haereas, ubi in divisione sit insistendum; deinde non ita magni referre, utrum hoc illove loco aliquod exemplum tractaveris, dummodo recte sis interpretatus.

Primae igitur partis ea sunt exempla, in quibus sententia leviter immutata effici possit illa particularum si et sin oppositio.

orat. part. 26, 92. „Sed apud homines bene institutos plurimum de laude et de honestate „dicemus maximeque ea virtutum genera tractabimus, quae in communi hominum utilitate tuenda „augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus: fructus, emolumenta, volu- „ptates, vitationesque dolorum proferantur etc.“

Si prior sententiae pars sic scripta esset: si apud homines bene institutos dicemus, ad normam propositam oratio fluere.

pro P. Sextio 21, 47. (Supra Cicero patriam, penates patriosque deos testatur se eorum sedum templorumque causa et propter salutem civium suorum dimicationem caedemque fugisse. Tum adversarios fingit objicientes:)

„Victi essent improbi.“ (respondet Cicero:) „At cives, at ab eo privato, qui sine armis rempublicam etiam consul conservarat. Sin victi essent boni, quid superesset? Non ad servos videtis rem venturam fuisse?“

Animi commoti haec est oratio, quae placida sic progrediretur: Si victi essent improbi: ego privatus armis contra cives meos pugnassem, qui etiam consul sine armis rempublicam conservaram. Sin victi essent boni: quid superesset? etc.

ep. ad Att. VII, 20, 2. „Ego autem in Italia *καὶ συνηγοροῦμαι*. Nec te id consulo. „Sin extra, quid ago?“

Plena esset oppositio, si sic scriptum esset: Si in Italia bellum est — sin extra se: est.

ib. IX, 2, 4, 2. „Nam quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim apud Pompejum hoc tempore: non video causam, cur ita sit, hoc quidem tempore. Qui enim amisso Corfinio denique certior me sui consilii fecit, is queretur Brundisium me non venisse, cum inter me et Brundisium Caesar esset? — Sin, cum potuero, non venero, tum erit inimicus; quod ego non eo vereor, ne mihi noceat, — sed quia ingrati animi crimen horreo.“

Sententiae summa haec est: Si, quia non potui, Brundisium non veni: (Caesar inter nos erat:) non video causam, cur mihi succenseat Pompejus. Sin, cum potuero, non venero, tum erit (et recte quidem) inimicus.

ib. XII, 1, 1. „Quod quidem ipsum scribe, quaeso, ad me, ut, dum consisto in Tusculano, sciam, quid garriat; sin rusticatur, quid scribat ad te.“

Ad verba quid garriat supplendum est: si est apud te; apte respondet sin.

de divin. II, 22, 49. „Res mirabilis, propterea quia non saepe fit; sed si fieri non potuisset, facta non esset. Atque hoc contra omnia ostenta valeat: nunquam, quod fieri non potuerit, esse factum; sin potuerit, non esse mirandum.“

Sin non pertinet ad si, sed ad verba proxime antecedentia, quae ut accurate sequentibus respondeant, sic se habeant necesse est: nunquam, si quid fieri non potuerit, esse factum.

pro Cluentio 61, 170. — „homines inimicos suos morte affici volunt, vel quod metuunt, vel quod oderunt. Quo tandem igitur Avitus metu adductus tantum in se facinus suscipere conatus est? quid erat, quod jam Oppianicum poena affectum pro maleficiis, ejectum e civitate, quisquam timeret? quid metuebat? ne oppugnaretur a perdito? an ne accusaretur a condemnato? an ne exulis testimonio laederetur? Sin autem, quod oderat Avitus, idcirco illum vita frui noluit: adeone erat stultus, ut illam, quam tum ille vivebat, vitam esse arbitraretur, damnati, exulis, deserti ab omnibus? etc.“

Interrogationis loco dici poterat: Si, quod metuebat, illum vita privare cupiebat: quid erat, quod etc.

de rep. I, 6, 11. „Equidem, ut verum esset sua voluntate sapientem descendere ad rationes civitatis non solere, sin autem temporibus cogeretur, tum id munus denique non recusare: tamen arbitrarer hanc rerum civilium minime negligendam scientiam sapienti, propterea, quod etc.“

Si sua voluntate sapientem mutaveris in: sapientem, si sui juris esset, apta erit sententia.

ib. II, 39, 66. „Quod autem exemplo nostrae civitatis usus sum, non ad definiendum optimum statum valuit; nam id fieri potuit sine exemplo; sed ut — Sin autem sine ullius populi exemplo genus ipsum requiris optimi status, naturae imagine utendum est nobis.“

Verbis Quod — usus sum mutatis in: Si quaeris, cur — usus sim, prior pars alteri respondet.

de nat. deor. I, 4, 6 sq.)* Cicero multos admirari dicit, quod tam subito philosophus factus sit. Se autem non mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsisse et cum minime videretur, tum maxime philosophatum esse, id quod et publicis et privatis rebus praestiterit. Transit deinde ad alteram admirantium illorum quaestionem, cur literis mandare philosophiam tam sero coeperit; quam ad quaestionem deinceps respondet. Quae quidem si sic comparata essent apud Ciceronem: Si quis miratur, unde hoc philosophandi nobis subito studium exstiterit: nos nec subito coepimus philosophari, nec medioerem etc. Sin autem quis requirit, quae causa nos impulerit, ut haec tam sero literis mandarem, nihil est, quod expedire tam facile possimus: si igitur sic Cicero scripsisset, remotis aut certe aliter dispositis ceteris rebus, quas una cum his tractavit: sententiae perspicuitati melius eum prospecturum fuisse manifestum est.

Laelius 21, 77. „Erumpunt saepe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiae sunt remissione usus, eluendae et, ut Catonem dicere audi, dissuendae magis, quam discindendae; nisi quaedam etc. Sin autem morum aut studiorum commutatio quaedam, ut fieri solet, facta erit, aut in reipublicae partibus dissensio intercesserit — cavendum erit, ne non solum amicitiae depositae, sed inimicitiae susceptae videantur.“

Melius congruerent sententiae partes, si pars prior sic inchoata esset: Si erumpunt, id quod saepe fit, vitia amicorum, tales amicitiae sunt etc. Opponuntur enim h. l. vitia, quae possunt singula committi, et morum aut studiorum commutatio, quae animi conversio est perfecta et perpetua.

Ceterum partis posterioris apodosis rectius sic scriberetur: in amicitiiis deponendis cavendum erit, ne inimicitiae susceptae videantur. Quamquam sic elegans illa verborum oppositio tolleretur.

*) Quoniam longius est hoc exemplum et alias quoque res continet, quae ad id, quod explicare volumus, non pertineant, nolui abuti spatio ad hoc opusculum concessio.

de off. I, 34, 123. „Nihil autem magis cavendum est senectuti, quam ne languori se „desidiaque dedat. Luxuria vero cum omni aetate turpis, tum senectuti foedissima est. Sin „autem etiam libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est, quod etc.“

Mederi loco sic possumus: Si luxuriae se dedit senex, vitium concipit cum omni aetate turpe, tum senectuti foedissimum. Sin autem etc.

Vocabulo etiam libidinis intemperatae cum luxuria conjunctio significatur, ut luxuriae opposita sit luxuria cum libidinum intemperantia conjuncta.

In animo habui totam hanc rem eodem hoc loco typis describendam curare; sed cum typographi opera magis moraretur, quam exspectaveram, atque ex alia parte monerer, ut gymnasii aerario, hercle pecunia non abundanti, parcerem: hoc loco insistendum esse censui, non quod aptus hic locus esset, sed quia, quae rerum in praesentia est condicio, aptiorem non vidi. Quae reliqua sunt, alia occasione oblata in medium proferam.